

rint; et facile ea deprehensurus sit,
et intellecturus etiam, nihil sine gra-
vissimis me fecisse rationibus.

Praecipuum forte momentum
trahit qualiscunque ordinis, in se-
cunda et tertia parte, mutatio:
Quod non tantum ideo feci, vt in
omnibus practicae philosophiae par-
tibus, eadem methodus, eademque
tractandi ratio obseruaretur, qua-
lem & in instrumentalí philosophia
adhibui, vtque adeo cuncta inter se
consentirent melius, atque conspi-
rarent, sed quod intelligerem, hanc,
quam hic secutus sum, tractandi me-
thodum rebus ipsis per quam esse
accommodatam.

Superstitiosius itaque obseruati
ordinis suspicionem plane depre-
cor, cum probe sciam, et alibi etiam
docuerim, methodum accommo-
dandam esse rebus, non res metho-
do. Moralium autem ciuiliumque
rerum naturae nihil conuenientius,
quam